DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MELISSA

QVAM

PRÆSIDE

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE

MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRÆ CVRIOSORVM ET PETRIPOLITANÆ VT ET REGIÆ SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI

A. d. Septemb. MDCCXXXIX.

SVBIICIET

GEORGIVS DANIEL Reuß

KIRNA RHEINGRAFIATVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

Q. B. F. Q. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
MELISSA.

PROOEMIVM.



Vum multi operam bene collocauerint in vno quodam ſimplici medicamento ad examen reuocando; magnique viri non ſolum in genere laudent ſtudium ſimplicibus impenſum; verum etiam optent vt ex diffuſo commendationum generalium, quibus ad omnes fere morbos quæuis planta laudatur, tamquam oceano, tandem aliquando emegere liceat, vt ſingulorum vel vnicam certam vel pauculas vires in numerato habeamus: elegi mihi plantulam & iucunditate gratam & laudibus multis celebrem, de qua pro ſpecimine inaugurali aliquid commentarer. Eſt vero ea MELISSA hodie in botanicorum libris & officinis dicta, quam credimus eſſe meliſſophyllum Dioſcoridis. Pauculæ ſunt ſpecies, quæ eo accedunt: de quibus ex botanicorum libris mentio iniicietur. Paucula etiam de meliſſa Turcica ſeu Moldauica adiiciemus, quum IO. RAIVS eam in maiori opere ad meliſſam officinarum, tanquam ſpeciem retulerit: etſi alii, cum TOVRNEFORTIO & RIVINO, eam ſeiungere & ſingulare genus conſtituere maluerint. Lectorem beneuolum

 rogo,

rogo, velit conatibus nostris fauere, omniaque in optimam partem interpretari.

§. I.

DE melissa antiquissimus materiæ medicæ scriptor DIOSCORIDES *lib. III. cap.* 118. (secundum alias editiones *cap.* 110. aut, vt Matthiolus edidit, *cap.* 101.) ita agit, vt & synonyma & aliquales notas nobis tradat, & de vsibus pauca indicet. Nomen ipsi imponit *melissophyllon*; dici vero etiam melittænam prodit: quæ nomina ab apibus indita sunt, quippe quas hac planta delectari pridem obseruatum fuit. MARCELLVS VIRGILIVS in sua versione, ad codices Mediceos facta, addit nomen *meliphyllon*, & alia quæ videntur barbara. Sed melittænam ac meliphyllon nobis commendant VIRGILIVS MARO *Georg. IV. vers.* 63. & NICANDER *theriac. v.* 554. 555. Vterque testatur, quod apibus sint grati odores & succi huius plantæ. Enimvero negotium hic facessit Nicandri scholiastes, vtique non contemnendus doctorum virorum iudicio. Is melittaenam & meliphyllon exponit *πράσιον*, quod nos marrubium vocamus. Atque ne hoc de suo affingere auctori existimemus, respiciendum est ad eiusdem *alexipharmac. vers.* 47. vbi ipse poeta hoc synonymum explicandi scopo posuit. Ad quem locum scholiastes nos docuit veteres nomen prasii generis loco posuisse, & ad illud tres species retulisse: quas inter sit meliphyllon. Si GALENVM consulimus, is *de simpl. medic. facult. VII. cap.* 102. vbi de melissophyllo agendum erat, paucis defuncturus, per omnia marrubio conuenire, sed viribus esse inferius, scribit: in quo omnino consentientem video PAVL. AEGINETAM *lib. VII.* & AETIVM *lib. I.* qui ipsissima etiam Galeni verba repetit.

§. II.

Qui Latina nomina Græcis primum dederunt, apiastrum dice-

dicere voluerunt, quod melissophyllum erat. PLINIVS *libr. XX. cap. II.* auctorem denominationis vocat Hyginum. Quid autem ille intuitus sit, quum hoc nomen imponendum censeret, nescire me fateor. Nam cum apio nihil ipsi commune video: illud autem nominum, in similem modum terminatorum, ratio vtique innuit, vt aliquam apparentem similitudinem denotent: quod apparebit cogitanti nigellastrum, surdastrum, poetastrum, & quæ sunt similia. Si vero, quod DALECHAMPIO *ad Plin. lib. XX. cap. II.* videtur, ad apes vtique respexit, non possumus quin illam etymologiam aduersus leges grammaticorum arguamus impingere. Sed & prorsus manifestum est apiastrum Hygini esse apii speciem venenosam, & originem non ab apibus duci, sed ab apio. Scribit enim PLINIVS *c. l apiastrum Hyginus quidem melissophyllon appellat. Sed in confessa damnatione est venenatum in Sardinia. Contexenda enim sunt omnia ex eodem nomine apud Græcos pendentia.* Quando dicit ex eodem nomine pendentia sibi contexenda videri, manifestum est quod ad apium, de quo toto illo capite sermo est, respiciat, non vero ad apes. Sed errauit vtique vel Plinius vel Hyginus, vel vterque, qui apium Sardoum siluestre, quod Dioscorides ranunculi speciem rectius facit, ad melissophyllum retulerunt. Videri de eo debet SALMASIVS *ad Solinum pag.* 71. & ipsemet SOLINVS *in polyhist. cap.* 4.

§. III.

Inter Latina nomina referri huc solet *amellum.* Legitur apud VIRGILIVM *georgic. IV. vers.* 271. Modo laudatus Salmasius, sequutus veteres glossas, amellum exponit melissophyllum. Sed quo minus cum ipso vel glossarum auctore faciam, ipse Virgilius efficit, qui florem sic describit:

Aureus ipse, sed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ sublucet purpura nigræ.

Hæc vero cum melissa officinarum, aut quacunque eius specie, vix quisquam conciliauerit. Videant alii an iustius ex-

ponatur de astere Attico seu bubonio: nam nos non tangit nunc illa quaestio. *Citraginem* etiam a Romanis dici melissam in sua versione dedit MARCELL. VIRGILIVS. Videri id posset a libera interpretis circumscriptione profectum, nisi Aldinae editioni Graecae subiunctae lectiones ex codicibus id plane exhiberent: *ῥωμαῖοι ὠτιωστροῦ, οἱ δὲ κιτράγω.* Non dubito quin pro monstroso priore reponendum sit *ἀπιαστρον.* Atque sic textus plene respondet versioni a secretario Florentino, docto vtique viro, profectae. Illud tamen non dixerim, qua aetate, quibusque auctoribus, istiusmodi nomina in Dioscoridem pervenerint: certe ab ipso Dioscoride non esse talia deprehenderunt docti viri, qui ab antiquissimis codicibus abesse testantur. Non videtur omnino repudiandum aut Romanae puritatis studioso indignum nomen, quod proxime accedit ad citreaginem, quo vocabulo vsus est PALLADIVS rerum rusticarum scriptor satis tersus, quem ad saeculi III. initia referre solemus. Is enim *libr. V. cap.* 8. aluearia perfricanda docet citreagine; eodem certe consilio, quo Virgilius Maro meliphyllum commendauerat. Sed dubium idem auctor facit *lib. I. cap.* 37. vbi inter herbas apibus amicas seorsim melisphyllon laudat, & deinde subiicit citraginem. Forte succurrere hic licebit Palladio illa obseruatione, quam supra retulimus, quod marrubium & melissam veteres ad idem genus retulerint, viderique possit melisphylli nomen marrubio haesisse, citrago autem tunc dici illa planta coeperit, quae citrei mali odorem habet.

§. IV.

Sed de nominibus antiquis videmur satis dixisse. Recens nomen, & vbique in officinis ac medicorum libris receptum, sollicitare religioni nobis ducimus. Transibimus potius ad botanicos auctores, vt nos edoceant eius characteres. Nam quae DIOSCORIDES tradit, non sunt satis clara & ad doctrinam sufficientia. Dum enim scribit ballotae similem esse, paucis exceptis; parum nos instruit, qui, ballotam requi-

quirentes, ad marrubium iterum remittimur: hoc autem obscuræ cognitionis esse ex dictis iam colligimus. Vnicum forte est in ea descriptione perspicuum, quod folia ὄζοντα κιτρομήλου, citreum malum redolentia habeat. IO. RAIVS in *hist. pl. tom. I. libr. XI.* tractat plantas verticillatas herbaceas, atque has inter *cap. XXIII.* melissam exhibet, quam foliis atrouirentibus calaminthæ maioribus, floribus in vno pediculo e cuiusque folii sinu egresso pluribus confertis, non vt in calamintha sparsis, a reliquis huius familiæ distinguendam præcipit. Idem auctor in *meth. plant. emend* amplissimam verticillatarum herbarum familiam subdiuidit, classibusque constitutis melissam illi adiicit, in qua sunt, quarum verticillis subiiciuntur folia eiusdem cum reliquis figuræ. Commemorat etiam odorem citri æmulum. Erit itaque descriptio melissæ ad mentem *Raii* talis: est herba verticillata, foliis ex atro virentibus, citri odorem referentibus; floribus prædita in vno pediculo, e cuiusque folii sinu egresso, pluribus simul confertis, monopetalis, galeatis; foliis inter quosque verticulos positis nihil a ceterorum figura diuersis; seminibus autem ad singulos flores quaternis, quibus perianthium pro vasculo inseruit, quæque terræ commissa binis foliis seminalibus prodeunt, efficiuntque vt tota planta ad dicotyledones referri debeat.

§. V.

A RAIO primas in arte botanica partes debemus IOS. PITTONI TOVRNEFORTIO, qui in systematica scientia condenda plurimum præstitit. Is melissam refert in classe quarta, quam assignauit herbis & suffruticibus flore monopetalo labiato præditis. Quumque amplissima talium familia in tribus certas disiungenda esset, melissæ locum assignauit suum in sectione tertia, earum scilicet, quarum labium superius erectum est. Est igitur tota descriptio, quam ipsemet dat *institut. rei herb.* p. 193. melissa est plantæ genus flore monopetalo labiato, cuius labium superius surrectum est, subrotundum, bifi-

dum,

dum; inferius vero tripartitum. Ex calyce autem surgit pistillum posticæ floris parti ad instar claui infixum ac quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina subrotunda, in capsula, quæ floris calyx fuit, recondita: quibus notis addendum est flores melissæ in foliorum quidem alis nasci, non tamen omnino verticillatos esse. Huic descriptioni genericæ subiicit sex species, quarum primariæ, quæ officinarum est, hortensis nomen adiungit, odoremque citri tribuit.

§. VI.

Qui methodum Riuinianam perfecit & aptiorem vsibus reddidit D. D. LVDWIG, recenset melissam inter plantas flore perfecto petalode irregulari gaudentes, & seorsim adscribit classi XI. quæ habet simplici monopetalo præditas, specialiusque semina quaterna nuda ferentibus, post florem cuius galea diuisa, barba autem tripartita conspicitur. Calycem ipsi tribuit tubulosum, quinquifidum, quasi bilabiatum; flores in vno pedunculo, ex cuiusque folii sinu egresso, vtplurimum ternos, pedunculis in vnum latus reflexis, vt semiuerticillata appareat planta. Est autem notandum, quod præeunte b. D. D. RIVINO, ab hac melissa seiungat melissophyllum, quod *pag.* 84. seorsim describit inter illos flores, quorum galea est integra, barba tripartita: suntque porro huic flores ex singulis foliorum alis terni, quaterniue, omnes antrorsum flexi, & semina subrotunda. Pari etiam modo inter melissam & melissophyllum (quod melittidem commodius dici putat) distinguit systematis sexualis nouissimus auctor D. D. CAR. LINNAEVS, qui in *gener. plantar. class. XIV.* didynamias complexa, melissam *num.* 479. melissophyllum *num.* 480. describit. Si conferas vtriusque notas, diuersitatem hanc cognosces, quod melissæ flori sit labium superius breuius, erectum, fornicatum, subrotundum, emarginatum, inferius autem trifidum, lacinia media maiori, cordata: sed in melissophyllo labium superius erectum, subrotundum, pla-

num;

num; inferius patens, trifidum, obtusum, lacinula intermedia maiori, crenata. Equidem de melissophyllo rem in medio relinquo totam: sed in melissa labii inferioris laciniam maiorem sæpius accurate consideraui, nihil autem cordatum inuenire potui.

§. VII.

His de melissa vulgari & officinali dictis subiungemus nunc quæ de melissa Moldauica seu Turcica botanici auctores præcipiunt. Quod RAIVS illam alteri melissæ vulgari in *histor. plant.* illico subiecerit, id iam ab initio monuimus. Sed in methodo plantarum emendata & aucta a melissa seiunxit & TOVRNEFORTII ac RIVINI exemplo separatum genus fecit, sub eadem tamen classe comprehensum. Ponit autem eam TOVRNEFORTIVS inter labiatas illas, quarum labium superius cochlearis instar est excauatum seu nonnihil fornicatum. Propriæ notæ sunt, illud labium esse bifidum ac sursum reflexum, inferius vero bifidum pariter, amboque desinere in fauces marginatas. Ex calyce autem tubulato & in duo labia inæqualia plerumque secto, surgit pistillum posticæ floris parti ad instar claui infixum, ac quatuor veluti embryonibus stipatum, qui deinde abeunt in totidem semina oblonga, in capsula, quæ floris calix fuit, recondita. Floris colorem esse album, cæruleum, & purpureo cæruleum, in specierum recensione annotat: dari etiam aliquam trifoliam Americanam odore graui ac penetranti, camphoram æmulante.

§. VIII.

Sed D. D. LVDWIG in *definit. plant.* Moldauicæ tribuit folia oblonga, angusta, plerumque crenata, calicem tubulosum, sectum in duo labia inæqualia, per maturitatem conniuentem: galeam floris diuisam, sursum reflexam, barbam plerumque quadripartitam, semina oblonga. Atque hæc descriptio cum flore ipso collata, plane accurata a me deprehensa fuit. Apparet autem ex collatis inter se descriptionibus melissæ vulgaris & Moldauicæ, quod floris & seminum

ratione sic satis inter se conspirent, vt vix possit verbis exprimi differentia. Sed si oculis subiicias vtramque plantam, habitumque omnem probe consideres: dabit hæc autopsia characteres, quibus facile alteram ab altera dignoscas. Quam enim minuti sunt flores melissæ, cum Moldauicæ floribus comparati? quam angusta sunt Moldauicæ folia, betonicæ fere similia minoribus foliis: quum melissæ primum erumpentia, donec florigeri caules protrudantur, triplo & amplius latiora sint, & ab ab ampliori basi in obtusum conum deminuantur. Moldauicæ demum folia inferiora obtusius crenata, quo magis caulis assurgit, eo acutiores habent apices, & tamquam molles spinas: illa certe parte, quæ petiolo folii propinquior est: quamquam & interposita videas minutula folia, quæ vsque ad apicem acutas istiusmodi extremitates emittunt. Nec modicam diuersitatis notam illud facit, quod Moldauica quotannis semine reparari debet, quum melissæ radices hyemem tolerent, primoque vere reuirescant. Altius etiam exsurgit melissa ad tripedalem fere longitudinem, aut non multo minorem: quum Moldauicam vix vltra pedem attolli videamus. His si addamus odorem, qui in melissa citrum plane refert, in Moldauica aliquid, quod verbis haud facile exprimas, coniunctum habet; facile omnino erit vtrumque plantæ genus a se mutuo discernere.

§. IX.

Præbet vtraque planta, quando in pleno flore est, iamque semina in inferiori caule aliquam maturitatem adepta sunt, destillationi per vesicam commissa, olei ætherei fragrantis satis conspicuam copiam: si maturius decerptæ, quando florere incipit, destillationem aggrediaris, parum vel nihil omnino accipies. Et sane si semina explores, in illis odorem plantæ specificum longe magis conspicuum & sincerum, quam in foliis aut alia quacunque parte percipies. Atque id in pluribus plantis odoratis pari modo se habere intelliges: prorsus vt præstet, si quis olei multam copiam optat, tardi-

us, & vbi prope defloruerunt, eas adhibere, quam in foliis & flore recenti operam consumere, cum exiguo emolumento. Certe qui plantam ante id tempus, quod indicauimus, destillationi tradiderunt, non commemorant oleum a se visum & impetratum. Vt operae parcamus, remittimus ad NIC. LEMERY *Cours de chymie Part. II. cap. XI. p. m. 614.* & celeberrimi HERM. BOERHAAVII *chymiam tom. II. processff. XVI.* vbi recenset qualem aquam acquisiuerit destillatione quater decies repetita, semper eam, quae prius prodierat, nouis herbis affundendo, vt multos corbes hac ratione impenderit.

§. X.

Enimuero vt aquam sine oleo, non tamen sine laudandis viribus, impetramus destillatione plantae recentis & vel nondum florentis, vel florem explicare incipientis. Complectitur enim salinas cum sulphureis combinatas plantae particulas, indolis saponaceae, vt cum BOERHAAVIO loquar, adeoque aptiores subeundo humorum nostrorum commercio, quam si oleosa pars eo vsque elaborata est, vt separatas ab aquosis res habere incipiat. Scilicet intelligitur in plantis aromaticis, aut, vt ab antiquo vocantur, cephalicis circulari aliquem succum nobilem salino-sulphureum, quem volatilem esse exinde cognoscimus, quoniam ex illis in atmosphaeram circumiectam continuo exhalat. Is in decerptis foliis & ramis maximam partem, certe quoad nobilissimam, perit & dissipatur; praesertim si ad solis aestum aut aerem liberiorem exsiccantur. Idem destillatione elicitur: quo semel euocato salinum crassius & terreum quidem in plantae decocto remanet, inque crassamentum, quod extractum vocant, exhalando redigi potest; sed quod specifica plantae virtute plerumque orbatum & effoetum cognoscitur: vtique si ex planta iam adultiore & semine instructa paratum fuerit.

§. XI.

Nolumus de melissae analysi plura hic adferre, quum dicenda de illa omnia exhausisse videatur b. D. D BOERHAAVIVS,

quem transscribere non placet. Illud tantum monere volo, mirandum non videri, si veteres melissæ nobilissimas vires parum cognouisse & prædicasse videamus. Nam quas Arabes laudant, & subsequuti vno ore confirmant, egregias dotes cordiales, analepticas, carminatiuas, pluresque deinceps enarrandas, vetustiores non poterant æque bene ac nos intelligere, quum carerent artis destillatoriæ subsidio, quæ illud volatile principium elicit, conseruat, & vt ita dicam intendit, quod veteres in decoctis siccatarumque plantarum pulveribus vel omnino non poterant vel non æque deprehendere. Quam vero primum destillatoria ars inuenta & perfecta ac ad medicinæ vsum translata fuit; quod Arabum periodo factum esse dubio caret: inuenitur etiam tam melissæ quam similium cephalicarum magis honorifica concelebratio: prorsus vt ad hyperbolicas etiam laudes aliqui videantur progressi. Id vero plenius intelligemus, si scholæ medicæ doctrinam de viribus & vsu melissæ temporum serie exhibuerimus.

§. XII.

HIPPOCRATI melissam laudatam in superstitibus scriptis non inuenio, nisi illam sub prasii seu marrubii nomine delitescere velimus suspicari, cuius tam internum vsum, in aqua macerati, quam externum commendat feminæ sterili curandæ libro *de sterilib. p. 680. edit. Foesii.* Post ipsum satis longo interuallo nihil medicorum scriptorum ad nos peruenit, vsque ad tempora NICANDRI poetæ Græci, ex cuius superius iam indicatis locis parum clare elucet, an nostram melissam cognouerit. Iubet eam concisam cum vino potandam iis dare, qui a serpentibus morsi sunt: laudat etiam alexipharmacam virtutem eius ad aconiti noxas auertendas. Quæ vero Nicander cecinit de vsu melissæ, eadem omnia in suis commentariis ad melissophyllum retulit DIOSCORIDES. En verba eius: *folia cum vino pota, atque etiam imposita, prosunt contra scorpionum ictus, nec non & phalangiorum canisque rabidi morsus. Eorundem*

deco-

decoctum fotu ad eadem valet. Et paucis interiectis: *folia quoque addito nitro bibita iis auxiliantur, qui a fungis strangulantur nec non torminosis;* quibus verbis complecti videtur Nicandri promissum, de ope aduersus aconiti, vtique strangulatorii etiam veneni, virus exspectanda. Et ne sine ratione de Hippocrate suspicati videamur quod sub prasio melissam intellexerit, prorsus ad eius mentem ita scribit: *Conuenit etiam ad feminarum desessiones ad ciendos menses.* Quibus tamen addenda sunt, quae capite sequenti de prasio i. e. marrubio amplius differit. Commendat porro Dioscorides melissam ad oris collutiones in dentium doloribus, & ad enemata dysentericis infundenda. Cum sale etiam imposita folia strumas discutiunt, itemque vlcera purgant sed & articularios dolores illita sedant. Orthopnoicis vero in eclegmate sumta opitulantur.

§. XIII.

A Dioscoride proximus fuit C. PLINIVS SECVNDVS, qui in in historia naturali melissophylli crebram mentionem facit. Sed de viribus & vsibus ita agit. *lib. XXI. cap. 20.* vt omnia ex omnibus prioribus complexus videatur. *Melissophyllo*, inquit, *siue melittide si perungantur aluearia, non fugient apes. Nullo enim magis gaudent flore. Copia istius examina facillime continentur. Idem praestantissimum est contra ictus earum, vesparumque & araneorum, item scorpionum. Item contra vuluarum* (an fungorum?) *strangulationes addito nitro. Contra tormina, e vino. Folia eius strumis illinuntur & sedis vitiis, cum sale decocta. Succus feminas purgat, & inflationes discutit & hulcera sanat. Articularios morbos sedat, canisque morsus. Prodest dysentericis veteribus & coeliacis & orthopnoicis, lienibus, hulceribus thoracis. Caligines oculorum succo cum melle inungi eximium habetur.* Videtur sane vtrumque auctorem ex iisdem fontibus hausisse, neque plura tunc temporis de virtute melissophylli a medicis fuisse in commentarios relata. Quam paucis verbis GALENVS melissophyllum, vix sine iniuria praeclarae plantae, absoluat; supra indicauimus. Parum ad rem quidem facit, sed omittere tamen noluí,

lui, quod *lib.* 1. *de compos. pharmac. sec. loc. cap.* 5. melissophyllum vnguentis addere iubet, quibus bonum odorem conciliare volumus.

§ XIV.

Quum vero prasio posthabeat in omnibus, & eius tantum defectu melissa vbi præcipiat: de hoc paucula delibare iuuat. *Prasium*, inquit, *gustu amarum est, ita si quis vtatur, conuenientem huic sapori actionem possidet, iecur ac lienem obstructione liberans, & thoracem pulmonesque expurgans ac menses promouens. Sed & illitum detergit ac digerit. Succo eius ad aciei oculorum claritatem vtuntur cum melle. Quin etiam per nares auriginem purgat. Ad aurium etiam dolores inueteratos adhibent, vtique in quibus obstructionem disiicere, meatumque ipsum, & ramos meningum seu membranarum expurgare opus est* His vterque nihil vel AETIVS vel PAVLVS AEGINETA adiecerunt. Liber de virtutibus plantarum, qui L. APVLEIO tribuitur, *cap. XLV.* vbi de prasio agit, quod melitænæ etiam nomine laudat, pleraque dictorum repetit; id vnum, quod ceteri præteriisse videntur, adiicit: *Si quis ab opere lassus inciderit in languorem & neruorum habuerit dolorem, herbæ marrubii succo cum oleo rosaceo permixto perunges eum, sine mora sanabitur.*

§. XV.

Hæc ex Græcis & Latinis medicinæ auctoribus tam longa opera adduximus, vt comprobaremus, quod supra diximus, nulli antiquorum in animum venisse virtutem melissæ cordialem, animum exhilarantem, motus prostratos excitantem, omnes excretiones promouentem, qua nos hanc plantam præcipue censemus. Eam nobis primi prodiderunt Arabes, apud quos non dico equidem chemiam primum esse natam, sed non dubito asserere primum fuisse medicinæ illatam, quoad partem illam, quæ destillatoria dicitur. Nisi idoneæ rationes breuitatem iniungerent, eadem diligentia, qua veteres excerpsimus, daremus Arabum loca & verba. Nunc mihi liceat, quo paucis defungar, asserti mei

com-

comprobationem permittere duobus testibus, vt quidem existimo, idoneis. Alter est FRANC. ALEXANDER, qui *Apollinis radio* I. p. 21. ita scribit: *miras in cordis affectibus laudes Galenus praeteriit, in quos vsus ex Simeone Sethi, Serapione atque Auicenna hodie etiam celeberrima est*: alter PETR. ANDR. MATTHIOLVS ad Dioscoridem, *melissophyllum*, inquit, *in cordis affectibus Mauretani miris laudibus efferunt, tametsi id Graeci silentio praeterierunt.* *Serapio haec tradit*: *melissophylli proprium est animum hilarem reddere, humenti ac frigido ventriculo auxiliari, concoctionem adiuuare, cerebri obstructiones reserare, deficientem animam reuocare, cordis imbecillitatem roborare, eamque praesertim, qua somnus frequentius nocte intercipi solet: quin & eius pulsum reprimere, animi sollicitudines fugare ac sollicitas imaginationes tollere, quae tum ab atra bile, tum ab exusta pituita gignuntur.* *Auicenna sic scribit*: *cor exhilarat, vitalesque facultates roborat, odoris fragrantia, saporis austeritate, partiumque tenuitate*; cetera.

§. XVI.

Atque his laudibus recens schola medica melissam ita celebrat, vt veterum & ab antiquioribus decantatarum virtutum rarius mentionem faciat: melissamque non amplius marrubio surroget & postponat, sed, merito quidem, longe praeferat. Vires eius compendio dabimus illo, quod IO. RAIVS, ex medicorum scriptis collegit: plura cupientem satiabit BARTH. ZORNIVS in *botanol. medica*. *Melissa*, inquit, *inter herbas cordiales recensetur.* Cardiaca seu cordi dicata hodie vocantur, quae blandum motum sanguini inducunt, & vim corporis augent & excitant. Sunt varia quae id praestant, varioque modo agunt. Ex his aliqua solo odore, vt citrus & melissa, iuuant: tanto autem magis excitant, vbi illud blandum aromaticum ad ipsos humores deducitur, vel commodo vehiculo aqueo innatans, vel spirituoso blando maritatum. Pergit RAIVS: *hinc melancholicis tantum non appropriata est*: *tristitiam depellit, somnia procreat laeta, sensusque acuit.* Huius virtutis multi testes sese offerunt; quos inter SIM. PAVLLI ostendit conser-

vam

vam ex plantæ foliis diu adhibendam, cuius iugi vsu virginem melancholia pertinaci laborantem & chlorosi afflictam ab vtroque malo fuisse liberatam testatur. Laborant fere melancholici sanguinis per viscera hypochondriaca impedito progressu: vnde sanguis ad cerebrum restagnat, ibique difficilem traiectum pariter habet. Hinc effoetus & minus elaboratus nascitur, inque singulos dies magis corrumpitur. Remedio vtique est medicina quæ tam solida roborando, quam fluidis expansionem aliquam afferendo, decursum humorum liberiorem facit. Id exspectandum ab infuso melissæ, aut conserua subiuncto infuso diluente. Maxime tamen ab aqua bene elaborata: de qua HERM. BOERHAAVIVS *chem. p. II. p. 17.* hæc notanter scribit: *nihil directius cerebrum, mentemque, permulcet viuificatque, quam aqua melissæ spiritu suo turgida.* Melancholia non curata augescendo in maniam erumpit: quare incidere vtique possunt casus, vbi melissæ prouidus vsus etiam tunc opem ferat: cuiusmodi fuisse arcanum illustris familiæ cuiusdam Monspeliensis, foliis melissæ spiritu vini infusis, RIVERIVS testatum reliquit *Prax. med. libr. I. cap. 12. p. m. 56.*

§. XVI.

Sed porro audiamus RAIVM de viribus melissæ disserentem: *In syncope & palpitatione cordis magnas habet laudes apud* FORESTVM, *aliosque.* Credo equidem respici ad Foresti *obs. VIII. libri XVII.* cuius scholio testatur conseruam melissæ sæpe solam sibi in curando cordis tremore satisfecisse. Magis tamen admirabile videtur, quod eiusdem libri *obseru. I.* indicat & inter arcanissima haberi cupit. Scilicet melissam viridem & borraginem contritas, ne facile agnoscantur, supra tegulam ignitam ponit, aqua rosacea & aceti momento prius conspersas. Vbi incaluerunt cordis regioni imponit, quo facto momento cessare cordis palpitationem. Id se didicisse ab Helidæo Paduano fatetur, qui sola melissa hoc scopo vsus fuerit. IEREM. MARTIVS, quem WELSCHIVS *in syllog. obs. & cur. medic.* edi-

edidit, *obser. L.* prædicat in eodem malo large exhibendam aquam melissæ saccharo edulcoratam: quo remedio multos a medicis iam derelictos curatos fuisse perhibet. Adnotat ad illum locum WELSCHIVS quod alii medici melissæ tantum tribuerint, vt *solatium cordis* ab ipsis vocatum sit: quodque THEOPHR. PARACELSVS heliotropium, herbamque solarem appellauerit. Sed de huius viri promissis plura inferius commemorabo, nunc ex RAIO absoluemus.

§. XVII.

Commendatur a RONDELETIO *in paralysi, morbo caduco, vertigine, aliisque frigidis cerebri affectibus, cum vino cocta aut macerata & bibita: a* GRATAROLO *in confortanda memoria & ingenio acuendo, quomodocunque comedatur.* Succurrit Rondeletio SOLENANDER *conf. 14. sect. II. pag. 152.* testaturque se illustrissimo cuidam viro, linguæ paralysi laboranti, salutem attulisse destillato ex melissa, generoso vino irrorata, aspersaque puluere caryophyllorum. Quantum capio, vsum externum auctor innuit. Ceterum nullam exsertam testificationem Rondeletii de melissæ virtute singularibus experimentis comprobata video, etsi in medicinarum formulis admixtam aliis animaduerto. GRATAROLI locus est in libro *de memoria cap. IV.* vbi etiam animo tranquillitatem ab vsu melissæ promittit. Pergit RAIVS: *in remoratis mensibus & lochiis puerperarum, suffocationeque vteri & flatibus, magni vsus est. Emendat insuper fœtorem anhelitus.* Hæ vero virtutes vterinæ, antihystericæ & carminatiuæ sunt, vt opinor, testatissimæ, partim quoque veteribus, vt supra vidimus, obseruatæ: quare in cumulandis testibus operam non consumemus. Vsus est vel in infuso aquoso theiformi, vel essentia & aqua destillata: quin externus etiam in pediluuiis, insessibus; vsque adeo vt SIM. PAVLLI testetur, etiam a foliis plantæ pedum suppositis opem fuisse consequutam.

§. XVIII.

Adiiciemus nunc passim obseruata de vsibus melissæ. De

THEOPHRASTO PARACELSO relatum lego apud Zornium, quod vinum melissatum in primis valere ad asthma scripserit. Id quomodo parari possit, si cum musto ferueat, ibidem praescribitur. Sed plane bonum scio si pugillum recentis puraequaeherbae vino imponamus: idque multos cum fructu facere. Ad eundem auctorem fere referri videas magnae inter chemicos existimationis laudumque huius plantae initium. Pro me dicat ὁ πάνυ BOERHAAVIVS *chem. tom. II. pag. 76. Dixerat Paracelsus sibi experimentis scitum, in melissa hospitari virtutem prorsus propriam, specificatam dicebat, quae insinuans se humoribus corporis humani, instauraret iis iam senilibus nouum iuuentae vigorem; hacque ratione podagram exstirparet radicitus. Paria bonus* ISAACVS HOLLANDVS *promiserat.* Paullo quidem, aut non paullo, altius ascendit GEORGIVS BAGLIVVS de *fibr. motric. p. m. 214.* vbi ad Pythagoreos, omnium philosophorum, vt iudicat, principes, refert inuentum balneorum ex ligno cedrio pro retardanda senectute, leniendisque artuum morbis adhibitum & odorosa cedria pice temperatum. Id quidem quibus auctoribus comprobari possit, nunc non vacat inquirere: nondum certe aliquis occurrit. Sed adscribam notabile epiphonema: *multa enim ad hoc in tota citro* (apparet quod citrum pro cedro nunc substituat,) *latent arcana, & multa in herbis ad citri naturam accedentibus, vt* MELISSA, *thymis citratis, cedrelate, quae cedriam dat picem, &c. Sed sapienti pauca.*

§. XIX.

Quod de leniendis artuum doloribus modeste Bagliuus promittit, in eo consentientem ex veteribus Apuleium supra vidimus. Sed suae in proprio corpore experientiae testimonium candide subiicit b. BOERHAAVIVS, quando de aqua melissae post quartam decimam destillationem accepta loquitur *l. c. pag. 76. Si vera sunt virorum dicta, crediderim, me hac arte exhibiturum compendio vnitas vires fortissimas huius herbae in hac aqua, cuius in me ipso pulcherrimos effectus deprehendi, ieiuno ventriculo potae.* Subiungit deinceps haec: *sane in melancholicis, hypochondriacis, hyste-*

grace envers moi-même? Permettez donc MONSEIGNEVR, que j'ose VOUS supplier de prendre sous VOTRE puissante Protection ce peu de lignes comme les premiéres marques de respect & de reconnoissance que je Vous dois, Je voudrois être en état de peindre au vif Vos belles qualités, mais, c'est une affaire qui surpasse toute ma capacité, vûque tout le monde convient que les hommes les plus eloquents ne sauroient exprimer comm'il faut les prérogatives de VOTRE ILLVSTRE MAISON qui eclatent toutes ensemble en VOTRE ILLVSTRE PERSONNE, puisqu'on a trouvé de tous tems parmi VOS TRES ILLVSTRES ANCETRES des Heros qui se sont fait un plaisir de joindre la generosité à la valeur.

Veuille le Tout-puissant conserver & faire fleurir VOTRE EXCELLENCE ILLVSTRISSIME pour la joie de toute VOTRE AVGVSTE FAMILLE aussi bien que pour le bonheur & le repos de tout VOTRE peuple! Enfin j'ose esperer, MONSEIGNEVR, que comme Vous avez eu la bonté d'agréer mes études dans la Medecine, & qu'un bon medecin est une personne utile à l'Etat, j'espére dis je, que

Vous me tiendrez quelque compte des ſoins que j'ai emploïez pour me rendre digne de ſervir ma patrie avec honneur, en rendant ou conſervant aux ſujets de VOTRE EXCELLENCE ILLUSTRISSIME la ſanté du corps, comme mes Peres la ſanté de l'ame. Agreéz, MONSEIGNEUR, ces foibles marques de mon zéle, puisque mon but n'eſt que de Vous faire voir en tout tems que je ſuis avec tout le reſpect & la veneration poſſible

MONSEIGNEUR

DE VOTRE EXCELLENCE
ILLUSTRISSIME

De Halle le 12. Septembre
1739.

le tres humble, tres obeiſſant & tres
obligé Serviteur

GEORGE DANIEL Reuß.

A SON EXCELLENCE
ILLVSTRISSIME

MONSEIGNEVR IEAN PHILIPPE COMTE SAUVAGE DE DHAVN ET KIRBOVRG

COMTE DV RHIN, DE SALM ET DE PIERRE, SEIGNEVR DE VINSTINGVE, DIMMRINGVE ET PVTLANGE &c.

MONSEIGNEVR



N consideration de VOTRE genereuse bonté aussi bien que des sentimens d'estime que VOTRE EXCELLENCE ILLVSTRISSIME a toujours fait paroitre pour les belles lettres, je crois pouvoir me flatter avec raison que ce petit ouvrage n'en sera pas mal reçu & que VOUS daignerez le regarder d'un oeil gracieux dans les moments auxquels les importantes affaires atachées à l'eclat de Vos dignités Vous accordent quelque relâche. C'est beaucoup que cette petite production de ma plume soit dediée à UNE PERSONNE aussi ILLVSTRE que celle de VOTRE EXCELLENCE ILLVSTRISSIME, mais n'est ce pas la grace intarissable de VOTRE TRES-ILLUSTRE MAISON ELLE MEME qui m'y oblige? grace envers mon aïeul, grace envers mon pere,

grace

hystericis, chlorosi laborantibus, palpitationi cordis obnoxiis, quoties mala hæc in spirituum perturbatione magis, quam a materiæ morbificæ mole aggesta, pendent, vix par remedium reperies, quamuis sit pretiosum satis. Sic satis modeste vir summus. Sed magnificentius sonant quæ promittunt alii de quintis, vt vocant, essentiis suis, ex melissa paratis. Senectuti pollicentur inde iuuentam, vt unguibus lapsis noui succedant, caluorum occipitia noua cæsarie obtegantur, edentulorum vacui loculi expleantur, vetulæque exsuccæ iuuenculæ fiant & menstruum tributum exsoluant. His fidem orbis habeat, si post tot annos, quibus talia leguntur, frequentius inter nos ambulent, qui, vel quæ, talia comprobent.

§. XX.

Qui tales docent quintas essentias sunt FEBVRE, chymiæ scriptor, quem Zornius laudat: & PETR. IOAN. FABER *myrothecii spagyr. libr. II. cap. 31. p. m.* 575. Ille promittit, quæ retuli: hic modestius quidem sua commendat; sed modus parandi is est, quem non possis omnino laudare, quia multa frustranea & aliena requirit. Si simplicitas remedia commendat: arridere vtique debet simplex herbæ vigorem suum nactæ destillatio, aliquoties repetita, mundis vasis, quæ nihil corrumpere possint, cum aqua aut succo herbæ contusæ & expressæ, quanto opus est, ne empyreuma contrahatur. Sed nec vituperari, sed suo loco & tempore etiam prærogatiuam ambire, potest cum vino destillata: quæ debilitatis & pituitosis, inque omni morbo frigido, conueniet. Extractum, seu crassamentum a destillatione, exhalando superfluam humiditatem, comparatum, minime contemno, si sit ex herba nondum flores nacta, ad methodum Boerhaauianam factum vsusque tempore aqua propria diluatur. Vbi vero ex maturiori planta paratum est, oleo prius expulso, magnopere vereor vt vires vllæ genuinæ superesse possint: nisi olei aliquot guttulis admixtis reddere ipsi amissam virtutem qualitercunque liceat.

§. XXI.

Ipsum vero oleum gratia & fragrantia præstantissimum, præsertim ex Moldauica paratum, cui illustris FRIDER. HOFFMANNVS plurimum tribuit, plane incomparabilibus pollet viribus. Licet illud pulueribus & electuariis admiscere: eodem, vel saccharo subacto, vel adiecto vini spiritu soluto, licet aquam melissæ ex tempore parare, viribus plantæ laudabilibus commendatissimam. Inseruit idem vsibus externis, in balsamis & linimentis.

§. XXII.

De vsu melissæ vulnerario varii auctores aliquid commemorant: videoque Paracelsum eius virtutis præconem allegari. Vidi feminam pauperculam a paronychia tam male mulctatam, vt exstirpandum digiti articulum chirurgus suaderet. Huic optatam salutem conspicuo fructu attulit cataplasma ex foliis melissæ cum farina coctum, adiecto butyro insulso. Quantum vero hic melissa effecerit, dubitare postea coepi, quum simile vlcus curatum æque feliciter viderem foliis filicis feminæ in cataplasma simile coctis & impositis. An forte omnis salus ex benigna pulte venit, vtpote blande fouente læsam partem, & naturæ ipsius, tam repurgantis quam instaurantis, beneficium nullo impedimento remorante? Sed hæc quisque, vt experimenta vlteriora se dabunt, diiudicet: nos hic filum abrumpimus, facimusque commentandi

F I N E M.